



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Qvaest. XLIII. De miraculis à Christo factis in generali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Responsa

Sed est valde inefficax argumentum multis de causis. Primo quia etiam si concedatur omnia, quae in argumento sumuntur, consequentia non est efficax. Quia cum non conficitur, quando inciperet, vel finiretur annus Pontificatus illorum pontificum, fieri recte potuit, ut sub illis quinque pontificibus Christus praedicauerit quatuor annis integris, & aliquot mensibus, ut facile constabit intuenti, & consideranti. Secundo, quia non satis constat Annam fuisse Pontificem eo anno, quo Christus est baptizatus. Quia verba illa Lucae. *Sub principibus Anna, & Caipha*, valde ambigua sunt & obscura. Quia nudè, ac simpliciter accepta potius indicare videntur, utrumque fuisse Pontificem eo anno, & per vices ministrasse, ut sentit Augustinus. tract. 49. in Ioannem. Alij existimant Caipham tunc fuisse Pontificem, & durasse vsque ad Christi mortem. Nam illum accepisse pontificatum quarto, vel quinto anno imperij Tiberij, & in eo perdurasse vsque ad finem imperij eius, non obscurè colligitur ex Ioseph. libr. 18. antiquit. cap. 3. & 7. quod vero ipse solus summus Pontifex esset, satis constat ex Matth. 26. *Duxerunt eum ad Caipham principem sacerdotum*, & Ioan. 11. & 18. *Duxerunt eum ad Annam primum, erat enim sacer Caipha*, quærat Pontifex anni illius, ergo etiam ille solus erat Pontifex anno baptismi Christi. Cum illo autem numeratus est Annas à Luca: tum quia Pontificatum paulo ante gesserat, & idcirco nomen principis sacerdotum nondum amiserat: tum etiam quia erat sacer Caiphae, ac propterea eximia autoritate pollebat, atque hanc ob causam in passione Domini ad illum primum ductus est Christus. Quidam etiam arbitrantur illum fuisse summum praesidem concilij Sanhedrin, ad quod verè, vel falsè doctrinæ iudicium pertinebat. Nam Act. 4. in illo Concilio, quod aduersus Apostolos coactum est, Annas vocatur princeps sacerdotum, Caiphas vero deinde cum reliquis annumeratur, cum tamen eodem anno, quo mortuus est Christus, durante adhuc Caiphae Pontificatu concilium illud congregatum sit. Alij denique arbitrantur Annam, & Caipham alternis annis pontificalem dignitatem obtinuisse, & ideo dictum esse, *sub Anna, & Caipha*: Quia licet eo anno, quo Ioannes Baptista praedicare cepit, alter eorum tantummodo esset Pontifex, tamen sub utriusque pontificatu praedicauit, & uterque dicebatur princeps sacerdotum, quia alternis sibi annis mutuo succedebant. Quæ res sic probari non potest, ita neque alia efficaciori ratione refelli. Ad præterea contra Eusebium non potuisse dici, factum esse verbum Domini sub Anna, & Caipha, solum quia Caiphas futurus erat pontifex post triennium, vel quadriennium, quando Christus mortuus est, præsertim cum eo anno defunctus iam esset Ioannes, nullo ergo modo consistere potest Eusebij computatio. Quod præterea euidenter conuincitur, quia historia Iosephi qua Eusebius utitur, antecessit fere per quatuordecim annos Christi baptismum, & prædicationem: accidit enim in initio imperij Tiberij, ut dictum est, & euidenter constat ex Iosepho. Ex quo etiam facile intelligitur, non fuisse perpetuo obseruatum eo tempore, ut summi pontifices annui essent. Sed hoc pendebat ex Romanorum imperio: qui interdum breuiori tempore interdum diuturniori, aliquem pontificem patebantur esse. Vnde etiam euenire poterat, ut idem sepe pontifex fieret. Ex historia ergo, & successione horum pontificum nihil certi de tempore prædicationis Christi haberi potest.

Augustin.

Matth. 26.
Ioan. 11. & 18.
Anna, &
Caipha pontifex
annis
qualis,

3 Obiectio.
Responsio.

Tertia, grauis difficultas sumitur ex chronologia Romana Euangelicæ coniuncta. Nam ex Luca habemus Christum baptizatum esse anno decimo quinto imperij Tiberij, sed historiae graues anno eiusdem imperij decimo octauo, Christum defunctum memorant, ergo non potuit prædicatione Christi à baptismate inchoata, quatuor integris annis du-

Fr. Suarez, Tom. 2.

rare. Sed hæc difficultas commodiorem locum habebit infra cum agemus de anno quo defunctus est Christus, ubi docebimus euenisse id quidem anno decimo nono imperij Tiberij, ex quo etiam confirmabitur amplius sententia, quam hic defendimus.

QUESTIO XLII.

De miraculis à Christo factis in generali, in quatuor articulos diuisa.



Einde considerandum est de miraculis à Christo factis: & primo in generali, secundo in speciali de singulis miraculorum generibus: tertio in particulari de transfigurationis ipsius.

Circa primum quaeruntur quatuor. Primo, utrum Christus debuerit miracula facere. Secundo, utrum fecerit ea virtute diuina. Tertio, in quo tempore inceperit miracula facere. Quarto, utrum per miracula fuerit sufficienter ostensa eius diuinitas.

ARTICVLVS I.

Utum Christus debuerit facere miracula



Primum sic proceditur. Videtur, quod Christus miracula facere non debuerit. Factum enim Christi verbo ipsius debuit concordare. Sed ipse dicit Matth. 16. *Generatio mala, & adultera signum quaerit, & signum non dabitur ei, nisi signum Iona Prophetae*. Non ergo debuit miracula facere.

2. Præterea, sicut Christus in secundo aduentu venturus est in virtute magna & maiestate, (ut dicitur Matth. 24.) ita in primo aduentu venit in infirmitate: secundum illud Isa. 53. *Virum dolorum, & scientem infirmitatem*. Sed operatio miraculorum magis pertinet ad virtutem quam ad infirmitatem. Ergo non fuit conueniens, quod in primo aduentu miracula faceret.

3. Præterea, Christus venit ad hoc ut homines saluaret per fidem, secundum illud Heb. 12. *Aspicientes in auctoritate fidei, & consummatorem Iesum*. Sed miracula diminuant meritum fidei, unde Dominus Ioan. 4. dicit, *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*. Ergo non videtur, quod Christus debuerit miracula facere.

Sed contra est, quod ex persona aduersariorum Dei dicitur Ioan. 11. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?*

Respondeo dicendum, quod diuinitus conceditur homini miracula facere propter duo. Primo quidem, & principaliter ad confirmandam veritatem quam aliquis docet, quia enim ea, quæ sunt fidei humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari: sed oportet quod probentur per argumentum diuinae virtutis, ut dum aliquis facit opera, quæ solus Deus facere potest, credantur ea, quæ dicuntur esse à Deo, sicut cum aliquis defert literas annulo Regis signatas, creditur ex voluntate Regis processisse, quod in illis continetur. Secundo, ad ostendendam presentiam Dei in homine per gratiam Spiritus Sancti, ut dum sc. homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam. Vnde dicitur Galat. 3. *Qui tribuit vobis Spiritum operatur virtutes in vobis*. Vtrumque autem circa Christum erat hominibus manifestandum, scilicet quod Deus esset in eo per gratiam, non adoptionis, sed vnionis, & quod eius supernaturalis doctrina esset à Deo. Et ideo conuenientissimum fuit, ut miracula faceret. Vnde ipse dicit Ioannis decimo. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Et Ioannis 5. *Opera quæ dedit mihi*

pater

Bb 2

234.
Op. 2. c. 7. &
Op. 3. c. 135. &
Op. 11. a. 17. &
Op. 60. c. 51. pr.

pater ut faciam, ipsa sunt, quæ testimonium perhibent de A
me.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc quod dicit. Signum
non dabitur ei, nisi signum Iona Propheta, intelligendum est,
ut Chrysostomus dicit, quod tunc non acceperunt tale signum, quale
petebant, scilicet de celo: non quod nullum signum eis dederit, vel
quia signa faciebat, non propter eos, quos faciebat lapideos es-
se, sed ut alios emendaret: & ideo non eis, sed aliis illa signa da-
bantur.

Ad secundum dicendum, quod licet Christus venerit in
infirmitate carnis, quod manifestatur per passionem: venit ta-
men in virtute Dei, quod erat manifestandum per miracu-
la.

Ad tertium dicendum, quod miracula in tantum dimi-
nuunt meritum fidei, in quantum per hoc ostenditur duri-
tia eorum, qui nolunt credere ea, quæ scripturis diuinis pro-
bantur, nisi per miracula. Et tamen melius est eis, ut vel per
miracula conuertantur ad fidem, quam quod omnino in infi-
delitate permaneant: dicitur enim prima ad Corinthios 14.
quod signa data sunt infidelibus, ut scilicet conuertantur ad
fidem.

COMMENTARIUS.

R Espondet D. Tho. conuenientissimum fuisse, ut
Christus miracula faceret. Quod euidenter pro-
bat ex fine prædicationis Christi, & excellentia eius,
ad quam confirmandam, & demonstrandam Chri-
sti diuinitatem vtilia erant miracula. Non tamen
declarat, utrum ad hunc finem fuerint simpliciter
necessaria: cum tamen ex verbis Christi Domini in-
terdum necessitas, interdum vtilitas colligi videat-
ur. Quam rem inferius disputabimus, ubi etiam ex-
ponemus, quod in sol. ad 3. tetigit D. Tho. quomodo
miracula conferant ad fidem, & augeant, vel minu-
ant meritum eius.

In sol. ad 1. explicat D. Thom. locum illum Matth.
12. & 16. Generatio praua, & adultera signum querit, &
signum non dabitur ei, nisi signum Iona Propheta. In quo
primum obseruandum est, Phariseos petentes à Chri-
sto signum de celo dupliciter peccare potuisse. Pri-
mo, ex praua intentione, quia non petebant illud si-
gnum, ut crederent, sed ut occasionem haberent cal-
umniansi Christum ut ariolum, seu incantatorem.

Hanc enim fuisse istorum mentem indicauit Chri-
stus, tum eos appellans hypocritas, (ut Græca ha-
bent, nonnullaque latina) tum acriter incessens illis
verbis, Generatio praua, & adultera. Secundo pec-
cabant per duritiam, & infidelitatem contemnendo
cætera miracula, quæ Christus faciebat, & no-
uum atque inusitatum signum exigentes, ut Christi
potentiam explorarent. Propter quod dicuntur ac-
cessisse ad tentandum eum, & hanc eorum mentem
indicauit Christus, cum illos arguit, quod ex signis
aeris, faciem cæli diiudicare nollent: Melsiæ autem
aduentum ex propriis eius operibus, & signis nol-
lent agnoscere, & ideo sine necessitate nouum signum
postularent. Propter hanc ergo duplicem causam
Christus eos acriter repulit, & omnino negauit si-
gnum eis se esse daturum. Quod dupliciter D. Tho.
exponit. Primo, quod Christus non negauerit ab-
solute se daturum vnum signum, quandoquidem
postea multa edidit miracula, sed non daturum tale
signum, quale illi volebant. Ita exponit Chrysostomus
hom. 44. Iuxtaquam expositionem, illud, Nisi signum
Iona Propheta, non habet vim excipiendi propriè (nā
exceptio propriè fit ex rebus comprehensis sub clau-
sula vniuersali, à qua fit exceptio, resurrectio autem
non erat tale signum, quale petebant Iudæi) habet
ergo vim aduersarij, ita ut sit sensus, non dabitur
eis signum, quale petunt, sed aliud longe dissimi-
le, quod omnes eorum calumnias possit superare,

Signum de
celo Iudæi
quosum pe-
tunt.

Signum de
celo quomo-
do Iudæi
Christum ne-
gat.
Chrysost.

Alia expositio est, Non dabitur eis, id est, propter eos,
ita ut non negauerit Christus se facturum signa, quæ
alijs prodesse, sed negat se facturum, ut consulat
eorum vtilitati, vel ut annuat eorum petitioni, quia
lapidei erant, imo ferrei, ideoque talia signa posce-
bant. Ita etiam exponit Chrysostomus & sequitur Euthymius.
in Matth. suo cap. 23. & Theophylactus in Matth. 26.

Quod si obijcias. Etiam illud signum Iona non
esse datum istis, qui signum petebant, id est, propter
ipsum, aut ipsorum petitionem. Respondent Theo-
phylactus & Euthymius signa de celo, quæ facta sunt in
morte Christi, & in eius resurrectione, ipsis Iudæis,
& induratis specialiter data esse, ut vel conuerteren-
tur, vel inexcusabiles fierent, eorumque cecitas om-
nibus nota foret. Vide Iansenius c. 49. Con. & Toletus Ioan.
2. annot. 23.

ARTICVLVS II.

Utrum Christus fecerit miracula diuina virtute.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod
Christus non fecerit miracula diuina virtu-
te. Virtus enim diuina est omnipotens. Sed vi-
detur quod Christus non fuerit omnipotens
in miraculis faciendis: dicitur enim Marc. 9.
quod non poterat ibi, scilicet in patria sua virtutem vllam
facere. Ergo videtur quod non fecerit miracula virtute di-
uina.

2. Præterea, Dei non est orare. Sed Christus aliquando in
miraculis faciendis orabat, ut patet in suscitacione Lazari
Ioann. 11. & in multiplicatione panum, ut patet Matth.
13. Ergo videtur, quod non fecerit miracula virtute di-
uina.

3. Præterea, Ea quæ virtute diuina sunt, non possunt virtu-
te alicuius creaturæ fieri. Sed ea quæ Christus faciebat, pote-
rant etiam fieri in virtute alicuius creaturæ: unde & Phari-
sæi ei dicebant, quod in Belzebub principe demoniorum eijcie-
bat demonia. Ergo videtur quod Christus non fecerit miracu-
la virtute diuina.

Sed contra est, quod Dominus dicit Ioan. 14. Pater in me
manens, ipse facit opera.

Respondetur dicendum, quod sicut in prima parte habitum
est, vera miraculosa virtute diuina fieri possunt: quia solus
Deus potest mutare naturæ ordinem, quod pertinet ad ratio-
nem miraculi. Unde Leo Papa dicit in epistola ad Elauianum,
quod cum in Christo sint due naturæ, vna earum est diuina,
qua fulget miraculis: altera scilicet humana, qua succumbit
iniurijs. Et tamen vna earum agit cum communicatione alteri-
us, in quantum scilicet humana natura est instrumentum
diuinæ actionis, & actio humana virtutem accipit à natura
diuina, sicut supra habitum est.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc quod dicitur, non
poterat ibi vllam virtutem facere, non est referendum ad po-
tentiam absolutam: sed ad id quod potest fieri congruenter,
non enim congruum erat, ut inter incredulos operaretur mi-
racula. Unde subditur. Et mirabatur propter incredulitatem
eorum: secundum quem modum dicitur Gen. 28. Num celare
potero Abraham quæ gesturus sum? & 19. Non potero facere
quicquam, donec ingrediarius illuc.

Ad secundum dicendum, quod (sicut Chrysostomus dicit super
illud Matth. 14. Acceptis quinque panibus, & duobus pisci-
bus, aspiciens in cælum, benedixit & fregit) operabatur credi
de Christo, quoniam à Patre est, quod ei æquale est. Et ideo ut
vtramque ostendat, nunc quidem cum potestate, nunc au-
tem orans miracula facit: & in minoribus quidem respicit
in cælum, puta in multiplicatione panum: in maioribus au-
tem, quæ sunt solius Dei, cum potestate à seipso agit: puta
quando peccata dimittit, mortuos suscitauit. Quod autem di-
citur Ioan. 11. quod in suscitacione Lazari oculos sursum lo-
cauit

Chrysost.
Euthym.
Theophyl.
Obiectio.
Responsio.

Iansen.
Tolet.

233.
3. d. 15. q. 1. a.
3. d. 15. q. 1.
1. ar. 3. cor. 9.
ad 4. & d. 5.
q. 1. art. 1. &
op. 11. cap. 17.

q. 1. q. 110. a. 4.

Ep. 10. cap. 4.
parum à pri.

qu. 13. art. 3.

Homil. 50. in
Mat. parum
à princ. 10. 2.

uauit, non propter necessitatem suffragii, sed propter exemplum hoc fecit. Vnde dicit, propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu misisti.

Ad tertium dicendum, quod Christus alio modo expellebat demones, quam virtute demonum expellantur. Nam virtute superiorum demonum, ita demones à corporibus hominum expelluntur, quod tamen remanet dominium eorum quantum ad animam: non enim contra regnum suum diabolus agit. Sed Christus demones expellebat non solum à corpore, sed multo magis ab anima. Et ideo Dominus blasphemiam Phariseorum dicentium eum in virtute demoniorum demonia eijcere, et probauit, primo quidem per hoc, quod Satanæ contra seipsum non diuiditur: secundo, exemplo aliorum qui demonia eijcebant per Spiritum Dei: Tertio, quia demonium expellere non possit, nisi ipsum vicisset virtute diuina: Quarto quia nulla conuenientia in operibus nec in effectu erat sibi, & Satanæ, cum Satanæ dispergere cuperet, Christus colligebat.

De hoc articulo legantur, quæ scripsimus priori tomo disput. 31. sect. 1. & 2.

ARTICVLVS III.

Virum Christum inceperit facere miracula in nuptiis.

236. **A**d quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus non inceperit miracula facere in nuptiis mutando aquam in vinum. Legitur enim in libro de infantia Saluatoris, quod Christus in sua pueritia multa miracula fecit. Sed miraculum de conuersione aque in vinum fecit in nuptiis tricesimo, vel tricesimo primo anno sue ætatis. Ergo videtur quod non inceperit tunc miracula facere.

2. Præterea, Christus faciebat miracula secundum virtutem diuinam. Sed virtus diuina in eo à principio sue conceptionis erat: ex tunc enim fuit Deus, & homo. Ergo videtur quod à principio miracula fecerit.

3. Præterea, Christus post baptismum, & tentationem cepit discipulos congregare: ut legitur Matt. 4. & Ioan. 1. Sed discipuli præcipue congregati sunt ad ipsum, propter miracula, sicut dicitur Luc. 4. quod Petrus vocauit obliuiscentem propter miraculum quod fecerat in captura piscium. Ergo videtur quod ante miraculum quod fecit in nuptiis, fecerit alia miracula.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 3. Hoc fecit initium signorum Iesu in Cana Galilee.

Respondetur dicendum, quod miracula facta sunt à Christo propter confirmationem doctrinæ eius, & ad ostendendam virtutem diuinam in ipso. Et ideo quantum ad primum, non debuit ante miracula facere, quam docere inciperet. Non autem debuit incipere docere ante perfectam ætatem, ut supra habitum est, cum de baptismo eius ageretur, quantum autem ad secundum, sic debuit per miracula deitatem ostendere, ut crederetur veritas humanitatis ipsius. Et ideo sicut dicit Chrysostomus super Ioan. decenter non incipit signa facere in prima ætate: existimassent enim phantasma esse incarnationem, & ante opportunitatem crucis eum tradidissent.

Ad vnum ergo dicendum, quod sicut Chrysostomus dicit super Ioannem ex verbo Ioannis Baptiste dicenti. Ut manifestetur in Israel, propterea venit ego in aqua baptizans, manifestum est quod illa signa, quæ quidam dicunt in pueritia à Christo facta, mendacia & fictiones sunt. Si enim à primæ ætate miracula fecisset Christus, nequaquam Ioannes eum ignorasset, neque reliqua multitudo indigni magistro ad manifestandum eum.

Ad secundum dicendum, quod Dei virtus operabatur in Christo secundum quod erat necessarium ad salutem humani generis.

A nam, propter quam carnem assumerat. Et ideo sic miracula fecit virtute diuina, ut fidei de veritate carnis eius, præiudicium non fieret.

Ad tertium dicendum, quod hoc ipsum ad laudem discipulorum pertinet, quod Christum secuti sunt, cum nulla eum miracula facere vidissent, sicut Greg. dicit in quadam hom. Et Chrys. dicit, tunc signa maxime necessarium erat facere, quando discipuli iam congregati erant. & deuoti, & attendentes his, quæ fiebant. Vnde de subditur. Et crediderunt in eum discipuli eius: non quia tunc primum crediderunt: sed quia tunc diligentius, & perfectius crediderunt. Vel discipulos vocat eos, qui futuri erant discipuli, sicut exponit Aug. in lib. de consensu Euangelistarum.

Circa hunc articulum videantur dicta supra hoc tomo, disputatione 17. sect. 3.

ARTICVLVS IV.

Virum miracula per Christum facta sufficienter eius diuinitatem ostenderint.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod miracula, quæ Christus fecit, non fuerint sufficientia ad ostendendam diuinitatem ipsius. Esse enim Deum & hominem, proprium est Christo. Sed miracula quæ Christus fecit, etiam ab alijs sunt facta, ergo videtur, quod non fuerint sufficientia ad ostendendam diuinitatem ipsius.

2. Præterea, Virtute diuina nihil est maius. Sed aliqui fecerunt maiora miracula, quam Christus, dicitur enim Ioan. 14. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ergo videtur quod miracula quæ Christus fecit, non fuerint sufficientia ad ostendendam diuinitatem ipsius.

3. Præterea, Ex particulari non sufficienter ostenditur vniuersale. Sed quodlibet miraculorum Christi fuit quoddam particulare opus. Ergo ex nullo eorum potuit manifestari sufficienter diuinitas Christi, ad quam pertinet vniuersalem virtutem habere de omnibus.

Sed contra est, quod Dominus dicit. Ioan. 5. Opera quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me.

Respondetur dicendum, quod miracula, quæ Christus fecit, sufficientia erant ad manifestandam diuinitatem ipsius, secundum tria. Primo quidem, secundum ipsam speciem operum, quæ transcendunt omnem potestatem creatæ virtutis: & ideo non poterant fieri nisi virtute diuina. Et propter hoc cæcus illuminatus dicebat Ioan. 9. A seculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati: nisi esset hic à Deo non poterat facere quicquam. Secundo, propter modum miracula faciendi: quia scilicet quasi ex propria potestate miracula faciebat, non autem orando, sicut alij. Vnde dicitur Luc. 6. quod virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Per quod ostenditur (sicut Cyrillus dicit) quod non accipiebat alienam virtutem, sed cum esset naturaliter Deus, propriam virtutem super infirmos ostendebat, & propter hoc innumerabilia miracula faciebat, Vnde super illud Matth. 8. Ejciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curauit, dicit Chrysostomus. Intende quantum multitudinem hominum curat in transiitum Euangelistæ, non Matt. paulo vnumquemque curatum enarrantes, sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducens. Et ex hoc ostendebatur, quod haberet virtutem coequalem Deo patri secundum illud Ioan. 5. Quæcumque Pater facit, hæc & filius similiter facit. Et ibidem. Sicut Pater suscitatur mortuos, & viuificat, sic & Filius hominis, quos vult viuificat.

Tertio ex ipsa doctrina, quæ se Deum dicebat, quæ nisi vera esset, non confirmaretur miraculo diuina virtute factis. Et ideo dicitur Marc. 16. Quænam doctrina hæc noua? quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.

Bb 3 Ad

Greg. ho. 5 in
Euang. in pr.
Chrys. ho. 21.
in lo paulo à
princ. tom. 3.

lib. 2 ca. 17.
med. tom. 4.

237.
3. d. 15. q. 1. a.
1. d. 10. q. 1.
a. 3. co. 5. 1.
co. c. 6. l. 4.
c. 55. ad 8. &
quod 2. ar. 6.
ad 4. & 10. d.
15. l. 5. col. 2.

Hom. 38 in
transiitum
Euangelistæ.
non Matt. paulo
à princ. tom. 2.

Ep. 3 postme.
illius tom. 2.

Ep. 3 à méd.
illius tom. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod hac erat obiectio Gen-
tilium. Vnde Aug. dicit in Epist. ad Volusianum. Nulla in-
quunt competens signis tantæ maiestatis indicia clare-
runt: quia larvalis illa purgatio, qua scilicet demonis effu-
gebat, debilius cura reddita vita defunctis si & alia confi-
derentur Deo parua sunt. Et ad hoc responder. Aug. Fatemur
& nos talia quadam fecisse Prophetas, se & ipse Moyses, &
ceteri Prophetæ Dominum Iesum prophetauerunt, & ei glo-
riam magnam dederunt. Qui propterea talia, & ipse facere
voluit: ne esset absurdum quod per illos faceret si ipse etiam
non faceret. Sed tamen, & aliquid proprium facere debuit,
nasci de virgine resurgere a mortuis, celum ascendere: hoc
Deo qui parum putat, quid plus expectet ignoro. Num homi-
ne assumpto alium mundum facere debuit ut eum esse cred-
eremus per quem factus est mundus. Sed nec maior mundus nec
isti equalis in hoc mundo fieri posset. Si autem minorem face-
ret infra:ustum similiter hoc quoque parum putaretur. Que
tamen alij fecerunt, Christus excellens fecit. Vnde super
illud Ioan. 15. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fe-
cit, &c. dicit Aug. Nulla in operibus Christi videntur esse ma-
iora, quam suscitatio mortuorum: quod scimus etiam anti-
quos fecisse Prophetas. Fecit tamen aiqua Christus, quæ nemo
alius fecit. Sed responderetur nobis, & alios fecisse quæ nec ipse
nec alius fecit. Sed qui tam multavitiæ, & malas valetudines,
vexationesque mortalium tanta potestate sinaret, nullus o-
mnino legitur antiquorum. Ut enim taceam quos iubendo,
sicut occurrebant, saluos singulos fecit. Marcus dicit, quod quo-
cunque loco introibat in vicos, aut in villas, aut in ciuitates,
in platæis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel
simbriam vestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant
eum, salui fiebant. Hac nemo alius fecit in eis. Sic enim intelli-
gendum est quod ait, in eis, non inter eos, aut coram eis, sed
prorsus in eis, quia sanauit eos. Nec tamen alius quicunque in
eis talia opera fecit, quoniam quisquis alius homo aliquid eo-
rum fecit, ipso faciente fecit: hoc autem ipse non illi facienti-
bus fecit.

Inmittitur 23.
in lo super
illud maiora
demonstra-
bat illis, 10. 9.

Ad secundum dicendum, quod Aug. exponens illa d. verbum
Io. 7. inquit, quæ sint ista opera maiora, quæ credentes in e-
um erant facturi: an forte, quod egros ipsis transiuntibus et-
iam eorum vmbra sanabat, maius est enim quod sanat vmbra
quam simbria. Verum tamen quando ista Christus dice-
bat, verborum suorum facta, & opera commendabat. Cum e-
nim dixit, Pater in me manens ipse facit opera: quæ opera
tunc dicebat, nisi verba quæ loquebatur? Et eorundem verbo-
rum fructus erat fides illorum. Verum tamen euangelizanti-
bus discipulis non tam pauci, quam illi erant, sed Gentes et-
iam crediderunt. Nonne ab ore ipsius diues ille tristis abscessit?
& tamen postea, quod ab illo auditum non fecit vnus fece-
runt multi, cum per discipulos loqueretur. Ecce maiora fecit
predicatus à credentibus, quam loquutus est audientibus. Ve-
rum hoc adhuc mouet, quod hac maiora per Apostolos fecit:
non autem ipsos tantum significans ait: Qui credit in me, o-
pera quæ ego facio, & ipse faciet. Audi ergo, & intellige: Qui
credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Prius ego facio,
deinde & ipse faciet: quia facio, ut faciat. Quæ opera nisi ut ex
impio iustus fiat? Quod vtrique in illo, sed non sine illo, Ch. istus
operatur. Prorsus maius hoc esse dixerim, quam creare celum
& terram, celum enim & terra transiunt, prædestinatio-
rum autem salus, & iustificatio peruenit. Sed & in celis
Angeli sunt opera Christi, nunquid etiam his operibus maiora
facit qui cooperatur Christo ad suam iustificationem: iudicet
qui potest, vtrum maius sit iustos creare, quam impios iustifi-
care. Certè si equalis est vtrumque potentia, hoc maius est
misericordia. Sed omnia opera Christi intelligere, vbi ait. Ma-
iora horum faciet: nulla nos necessitas cogit: horum enim for-
sit an dixit, quæ illa hora faciebat. Tunc autem verba fidei fa-
ciebat: & vtrique minus est verba iustitia predicare (quod fecit
propter nos) quam impios iustificare, quod ita facit in nobis,
ut faciamus & nos.

Ad tertium dicendum, quod quando aliquod particulare
opus proprium est alicuius agentis, tunc per illud particulare
opus probatur tota virtus agentis, si ut cum ratione. Vnde
proprium hominis, ostenditur aliquis esse homo ex hoc ipso
quod rationatur circa quodcumque particulare propositum.
Et similiter cum propria virtute miracula facere sit solius Dei,
sufficiens ostensum est Christum esse Deum, ex quocumque
miraculo quod propria virtute fecit.

DE quaestione huius articuli integra disputatio
nobis est statim instituenda, & ideo solum est
circa literam adnotandum, tria illa quæ D. Tho. in
art. ponit, non esse diuisim, sed coniunctim accipien-
da, & præsertim tertium non esse separandum à reli-
quis. Nisi enim Christus affirmasset, se esse Deum,
& in huius veritatis confirmationem miracula edi-
disset, sola ipsa miracula per se sumpta non satis o-
stenderent, ipsum esse verum Deum, at vero facta in
confirmationem doctrinæ, efficacissima fuerunt ad
illam roborandam, ut statim ostendemus. Oportet
autem, antequam disputationem instituamus, se-
quentem quaestionem D. Tho. percurrere, quoniam
eamdem continet materiam, & si quid est in ea diffi-
cultatis, eadem disputatione aptius comprehen-
detur.

QVÆSTIO XLIV.

De singulis miraculorum speciebus, in
quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de singulis miracu-
lorum speciebus.

Et primo, de miraculis quæ fecit circa spi-
rituales substantias.

Secundo, de miraculis quæ fecit circa celestia corpo-
ra.

Tertio, de miraculis quæ fecit circa homines.

Quarto, de miraculis quæ fecit circa creaturas irrationa-
les.

ARTICVLVS I.

Vtrum miracula facta per Christum circa spirituales
substantias fuerint conuenientia.

DPrimum sic proceditur videtur, quod miracu-
cula, quæ fecit Christus circa spirituales sub-
stantias non fuerint conuenientia inter spiri-
tuales enim substantias sancti Angeli præpo-
nent demonibus, quia ut Aug. dicit in 3. de Tri-
nit. spiritus vite rationis defertor, atque peccator, regitur
per spiritum vite rationalem pium, & iustum. Sed Christus
non legitur aliqua miracula fecisse circa Angelos bonos. Ergo
nec etiam circa demones aliqua miracula facere debuit.

2. Præterea, Miracula Christi ordinabantur ad mani-
festandam diuinitatem ipsius. Sed diuinitas Christi non erat
demonibus manifestanda, quia per hoc impediretur scire
mysterium passionis eius secundum illud 1. Cor. 2. Si cognou-
issim, nunquam Dominum glorie crucifixissem. Ergo non
debut circa demones aliqua miracula facere.

3. Præterea, Miracula Christi a gloria Dei ordinaban-
tur, vnde dicitur Matth. 9. quod videntes turba paralyticum
sanatum à Christo, timebant, & glorificauerunt Deum,
qui dedit potestatem talem hominibus. Sed ad demonem non
pertinet glorificare Deum, quia non est speciosa laus in ore
peccatorum, ut dicitur Eccl. 1. Vnde & sicut dicitur Mar. 1. &
Luc. 4. non sinebat demonia loqui ea, quæ ad gloriam ipsius
pertinebant. Ergo videtur non fuisse conueniens, quod circa
demones aliqua miracula faceret.

4. Præ-